

rum reus, gaudeo et indigeo fraternis admonitionibus fideliter corroborari : tamen propter antiquam auctoritatem prædecessorum meorum, beatæ scilicet memoriæ Augustini, et aliorum sanctorum, quorum studiis regula Christianitatis, primum de hac archiepiscopali sede cunctis finibus Anglorum innotuit: idcirco istos divinos apices ad utili-

tatem omnium vestrum charaxare decrevi, quatenus rex augustissimus egregio vocabulo Edmundus cum omni populo suo imitari gaudeat, quod in nobis et ex nobis audiat, omnesque gentes, quæ undique regali imperio ipsius subjectæ sunt, titulos liquidæ nostræ conversationis ovanter sequi ament et delectent.

ANNO DOMINI DCCCCLXI

RORICO LAUDUNENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA

(Ex Gallia Christiana, tom. IX, pag. 520.)

Anno 949, « Laudunenses, ait Flodoardus in Chronico, qui fidelitati Ludovici regis attendebant, eligunt sibi præsulem Roriconem diaconum, ipsius regis fratrem, filium nempe nothum Caroli Simplicis; quem consecrat Artoldus archiepiscopus Rhemis, qui tamen non receptus Lauduno, apud Petræ pontem munitorem resedit. » Adfuit, anno 955, ordinationi Hadulfi episcopi Noviomensis. Anno 961, post mortem Artaldi archiepiscopi Rhemensis, archicancellarii munere functus est, usque dum Odalricus Artaldo succederet. Eodem anno monachos in abbacia Vincentiana restituit, submotis canonicis. Anno 962 adfuit synodo tredecim episcoporum in pago Meldensi, in qua intercessit cum Gibuino Catalaunensi quominus restitueretur sedes Rhemensis Hugoni, Arthaldi competitori; eodemque anno manus imposuit ipsi

B Odolrico a Widone Suessionensi consecrato. Anno 969, consensit, III Non. Jun., donationi dimidiæ abbatie sancti Hilarii cum ecclesia, factæ monasterio sancti Vincentii. Anno 973 dedit ipse eidem monasterio ecclesiam sancti Medardi in villa Caprimiaci. Anno 976, « langore paralyti correptus, inquit Flodoardus in Chronico, post multas ac debitas Deo pro ipsa infirmitate redditas gratias, vita decessit, videlicet vigilia S. Thomæ apostoli post laudes Deo matutinales. » De eo Necrologium Vincentianum his verbis: « XIII Kal. Januar, obiit Rorico episcopus Laudunensis, qui huic cœnobio alteram regulam instituit, et multas res cum terris et altaribus dedit. » Eum fuisse eruditum testatur Atso monachus in libro de Antichristo, quem rogatu Gerbergæ reginæ conscripsit.

RORICONIS

CONSTITUTIO

De restituendis in monasterio S. Vincentii monachis

(Actes de la province ecclésiastique de Reims, tom. I, pag. 626.)

Auxiliante supernæ propitiationis clementia, Rorico, etsi indignus tantæ Laudunensis Ecclesiæ præsulatus adeptus, considerans ultimæ evocationis sortem, ut cæteris, mihi quoque imminere, peccatorum quoque meorum quam magno pressus gravamine, cœpi apud me tacita deliberatione tractare quiddam huic sedi, cui auctore Deo præsideo, profuturum, meis vero opinor consulendis criminibus pernecessarium. Siquidem in latere montis, cui præeminet civitas, in prospectu scilicet ejus, est ecclesia sita sancti Vincentii egregii martyris cultu et

C honore venerabilis, super qua fama ferebatur antiquis temporibus insigem fuisse monasticæ conversationis, quæ quidem moderno tempore destitutionis succumbebat penuriæ, donec prædecessor meus Adelelmus undecunque sumptibus duodecim canonicorum in ea servitutum conventum constituit ordine vivendi religiosum. Quo ita defuncto, crebrescentibus diversorum cladum malis pene ad pristinum prolapsa est desolationis detrimentum. Quod ego non æquanimiter ferens, maxime quia non tam sedis hujus episcoporum, sed etiam nobi-